



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XXXV. Per vnum mortale peccatum, quod homo committit, eum in
multa alia peccata mortalia, & in salutis suæ diffidentiam incidere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

Per unum mortale peccatum . quod homo
committit , eum in multa alia peccata
mortalia , & in salutis sua diffi-
dentiam incidere.

C A P. XXXV.

Alius clarissimus peccati mortalis
effectus hic est, quod hominem in
multa alia perquam grauia peccata in-
cidere faciat. Id quod primò fit ex eo,
quia per primum mortale peccatum
amittit gratiam, quæ sanat, vegetatque
naturam ad resistendum tentationi-
bus, ad vincendos inimicos, ad non
consentiendum peccato: cumque ho-
mo debilis hoc gratiæ auxilio, ac ro-
bore careat, insurgunt contra ipsum
tentationes, quibus succumbit. Quem-
admodum quamdiu aliquis benè ar-
matus est, fortiter se à suis hostibus de-
fendit, ne occidant ipsum, neque vul-
nerent; & si arma amittat, hostesque
inermem aggrediantur, facile lauciant
eum, atque interficiunt; sic homo, qui
gratiâ, tanquam fortissimis armis, se ab
animæ

animæ inimicis defendebat, sic illam per peccatum mortale amittat, inimis est, & proficientes inimici, qui spiritali eius exitio imminet, ad pugnandum cum ipso, facile eum vincunt, occiduntque, faciendo illum in alia peccata labi. Nam sicuti qualibet creatura studet, quantum potest, alias sibi similes generare; sic peccatum, licet quoad formalem, substantialemque sui partem non sit creatura, sed bonitatis defectus, vult generare alia similia, vel maiora peccata, inclinando ad ea, atque mouendo. Hoc Oseas Prophetam significauit, dicens: *a Sanguinem tetigit Sanguinem* phrasid. *uinæ* Scripturæ solenni, peccatum mortale vocat, quemadmodum hoc loco S. Hieronymus, & S. Gregorius notant. *b* Et vnum sanguinem alterum tangere, est, vnum peccatum ad aliud peccatum mouere, donec homo peccatis mortalibus impleatur. Ita S. Hieronymus,

a Os. 4. 2. *b* D. Hier. Os. 4. D. Greg. l. 13. mor. c. 10. & hom. 11. in Ezech.

ronymus, Sanguis, inquit, sanguinem ten-
git. siue, sanguinem sanguini miscuerunt,
ut auerent peccata peccatis, & nouis ve-
tera cumularent. Præter dictas, alia hu-
ius causa est, videlicet permissio diui-
na. Nam iratus Deus propter prima
peccata, quibus ipsum homo offendit,
in eorum pœnam, sinit illum in alia in-
cidere; id quod Psalmista cum Deo lo-
quens ait: *a Appone, Domine, iniquita-*
tem super iniquitatem; & non intrent in
institiam tuam. Quasi Prophetico spi-
ritu diceret: Permittes eos, Domine,
ex vno peccato in aliud cadere in pœ-
nam iniquitatis ipsorum, sicque perse-
uerabunt in peccatis suis, nec in amici-
tiam, & gratiam tuam redibunt. Ete-
nim certum est, nullum peccatū à quo-
quam homine fieri, quod alius, si eum
Deus relinquat, non possit facere, neq;
ipsâ faceret tentatus ab inimico, nisi
Deus illum favore suo retineret, quò
minùs id faceret. Et sic quod Deus
hominem relinquit, neq; manu suâ te-
net,

a Ps. 68. 28.

net, ne peccet, sufficiens causa est, ut
 commisso vno peccato, breui tempore
 multa alia committat. Hoc docet san-
 ctus Augustinus dicens: *a Proni sumus
 ad malum; & si misericordia Dei non te-
 neret nos, in omne vitium possemus cadere,
 nec inde surgere, nisi misericordia Dei sub-
 sequeretur, qua nos subleuaret.* Hoc bene
 cognoscebat Propheta, cum dicebat: *b Do-
 mine, misericordia tua subsequatur me,
 qua me erigat.* Hactenus S. Augustinus.
 Et est tam certa hæc veritas, ut sancti
 sacrique Theologi fateantur, *c* post-
 quam homo in mortale aliquod pec-
 catum incidit, quamdiu est sine gratia,
 quod de eo pœnitentiam non egerit,
 impossibile esse, ut diu sine alijs mor-
 talibus peccatis faciendis maneat,
 quamuis omnibus suis viribus conetur
 ab ijs abstinere. Cùm enim sit debilis
 & suapte culpâ, voluntateque separa-
 tus

*a D. Aug. tom. 3. l. de spiritu & anima c. 33.
 b Ps. 25. 3. Ps. 22. 5 c Conc. Arausic. c. 13.
 D. Aug. de catechiz. rud. c. vlt. D. Th. 1. 2.
 q. 109. a. 8 D. Bonavent. Alb. l. 2. d. 28.*

tus ab ultimo suo fine, qui Deus est, & pro suo ultimo fine habeat creaturam, inordinatus amor, quo in creaturas fertur, adducet ipsum subinde ad res diuinæ legis contrarias faciendas. Hinc sequitur, quædam peccata mortalia esse, quæ non solum peccata sunt, sed etiam pœna peccatorum, quia Deus finit, ac permittit in ea incidi in pœnâ peccatorum, id S. Gregorius obseruat his verbis: *a Omne peccatum, quod citius pœnitendo non tergitur; aut peccatum est, & causa peccati, aut peccatum & pœna peccati. Peccatum namque, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.*

Confirmemus hanc veritatem per insigni testimonio scripturæ diuinæ. Cùm Abraham peregrinaretur cum vxore suâ, *b tulit eam* Abimelech rex in Geraris, animo ducendi ipsam vxorem, ratus Abrahæ sororem, non coniugem esse: & cum illam domi suæ intactam teneret, apparuit ei Angelus in
S personâ

a D. Greg. l. 25. mor. c. 12. b Gen. 20. 2.

personam Dei, dicens: *En morieris prope
 alienam mulierem; redde eam viro suo.*
 Et Abimelech, *Num, inquit, gentem
 ignorantem, & iustam interficies? Non
 putavi illam vxorem eius, sed sororem
 esse; & in simplicitate, ac munditia cor-
 dis mei feci hoc. Dixitq; ad eum Deus per
 Angelum: Scio, quod simplici corde fece-
 ris: & ideo custodiui te, ne peccares in me,
 & non dimisi, vt tangeres eam.* In hoc
 facto, & per hæc verba manifestauit
 Deus hoc terribile iudicium suum,
 puniendi vnum peccatum per aliud: sicut
 Abimelech sciens Saram mulierem vi-
 ro nuptam, tulisset eam, domumque
 suam duxisset, vt vxorem ipsam acci-
 peret, permisisset eum Deus in penam
 huius peccati, incidere in grauissimum
 delictum adulterij; sed quia id nesci-
 uit, fuitque eius error ignorantie, Deus
 custodiuit ipsum, neque permisit in
 tantum peccatum labi. Nec tantum
 homines propter commissa peccata ius-
 to Dei iudicio in alia peccata ordina-
 ria similia, vel maiora incidunt, sed
 etiam

etiam
 contra
 rumque
 peccat
 & hor
 remot
 sequat
 peccat
 tionem
 habet
 permi
 amare
 Ita do
 toribu
 quas I
 Ezech
 gula,
 porrex
 illas a
 que d
 cens,
 vero I
 fisse D
 eta la
 a A

etiam in peccata extraordinaria, & contraria communi hominum, brutorumque animalium naturæ. Cùm hæc peccata tam foeda, enormiaque sint, & homo ab eis committendis tam sit remotus, ipsamque naturali odio persequatur, quia voluntariè facit alia peccata, ad quæ naturalem inclinationem, vel non tantam auersionem habet, sinit eum Deus in illa cadere, permittitque ipsum à diabolo vinci, & amare vicia, quæ priùs abhorrebat. Ita docet diuina scriptura de habitatoribus illarum quinque ciuitatum, quas Deus igne combussit, dicens per Ezechielem, quia dediti fuissent ocio galæ, & superbia, nec manum pauperi porrexissent, a Deum permisisse eos in illas abominationes incidere. Idemque declarat S. Paulus de Romanis dicens, b eò quod creaturis cultum, qui vero Deo debebatur, dederint, permisisse Deum ipsos in tam nefanda delicta labi. Atque hoc Dei iudicium, &

S 2 pœna

a Ezech. 16. 49. b Ad Rom. 2. 26.

pœna vlteriùs progreditur, vt propter peccata, quæ homines ausi sunt committere, confidentes in Dei misericordiâ, ipsum expectaturum eos ad penitentiam, amittant ipsam confidentiam in diuinâ misericordiâ; quia dæmon, qui antequam peccatum committatur, Dei misericordiam amplificat, & auget, ne peccatum timeant, hoc commissio illam restringit, & extenuat, vt animis concidant, ac de veniâ desperent. Refert Venerabilis Abbas Petrus Cluniacensis, virum quendam à dæmone tentatum, luxuriæ vicijis dedisse se, ac postea excæcatû, motumque hoc peccato ad confessionem, & communionem accessisse, nec de illo tamen exiisse: cùm ergo malum eius creuisset, ipsum lethali morbo decumbentem, de Deo desperasse; & cùm eum quidam serui Dei monerent, quamdiu animam in corpore retineret, salutis remedium superesse; pœnitentiam proinde de peccatis suis ageret, ea que

con-

a Petr. Cluniac. l. 1. de miraculis. c. 51

confiteretur, confidens in Dei misericordiâ, hunc illa ipsi condonaturum, respondisse, iam se damnatum, & demones præstò esse, vt se ad inferos deportandum accipiant; atque hæc dicentem expirâsse, & damnatum esse. Peccata, quæ is commiserat, luxuriæ, abusûs sacramentorum, & inordinatæ præsumptionis de diuinâ misericordiâ, puniuit Deus, permittendo ipsum sine sacramentis, & spe veniæ mori; quæ terribilis pœna est, quàm sæpe Deus in pœnam peccatorum infligit, quemadmodum S. Augustinus monet his verbis: *a Nescio, quâ conscientia, cum peccauerimus, remedium pœnitentiæ differamus. & in huius mundi pelago innumeris periculis circumdati, vanam nobis securitatem promittamus, non credentes, ex peccatorum multitudine diffidentiam ac desperationem oriri, & multos, qui sani dicebant se toto corde pœnitentiam agere, quia eam non statim egerunt, sed distulerunt,*

S 3

a D. Aug. Fallit citatio. commodani mea verba.

runt, illâ non actâ expirâsse. Hac enim in
 animaduersione percutitur à Deo peccator,
 ut moriens obliuiscatur sui, nec de suo re-
 medio cogitet, qui uiuus, valensq; oblitus
 est Dei, nec de illius obsequio cogitauit.
 Hic apparet, quàm manifestus sit er-
 ror peccatorum, qui peccare audent,
 cogitantes se cum tempore uitam
 emendaturos, deque peccatis suis po-
 nitentiam acturos; cùm effectus pec-
 cati, & res ordinariè contingere solita
 fit, noua peccata, & maiora præteritis
 facere, in ijsque ad mortem usque per-
 feuerare, puniente Deo vnum pecca-
 tum per peccata alia, vti demonstraui-
 mus. O quàm malus, ac perniciosus
 hic peccati effectus est, ô quàm grauis
 animaduersio, ô quàm immensa pœna.
 Ingens pœna peccati foret, si eodem
 temporis puncto, quo id homo com-
 mittit, Deus permetteret vniri contra
 eum omnes creaturas mundi, & omnes
 dæmones inferni, & vnamquamque
 creaturam, & vnumquemque dæmo-
 nem ipsi cruciatum, quem potest atro-
 cissimum

D
 cissim
 pœna
 cata i
 tum m
 lum e
 viden
 plij
 hanc p
 à Chri
 Dei o
 patio
 ab ijs
 Christ
 gent.
 mùm
 ab ei
 lumq
 esse,
 Deus
 ior p
 vnun
 quia
 habe
 Dei.
 a M

ciffimum infligere. Et tamen maior
pœna est, quod Deus illum in alia pec-
cata incidere permittit; quia pecca-
tum maius his omnibus tormentis ma-
lum est. Quare S. Martyr Seuerianus
videns suum corpus grauissimis sup-
plicijs dilaceratum, aiebat: *a Vnam*
hanc plagam grauem existimo, que me
à Christo disiungit, peccatum scilicet, &
Dei offensam. Sunt verò hæ omnes, quas
patior, mihi potius voluptati. Me enim
ab ijs, que sunt in terrâ, separantes, soli
Christo coniungunt, eiusque amorem au-
gent. Magna pœna esset, si, cum pri-
mùm homo peccat, Deus manum suam
ab eius conseruatione subtraheret, il-
lumque annihilaret, ita vt desineret
esse, & ad suum nihilum, vnde ipsum
Deus creauit, rediret. Et tamen ma-
ior pœna est, quod Deus eum propter
vnum peccatum in aliud labi finit:
quia minus malum est non esse, quàm
habere esse cum peccato, & offensâ
Dei. Idcirco Christus de Iudâ dixit: b

S 4

Bonum

a Metaphr. Sur. in Sept. b Maeth. 26. 24.

Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille; hoc est, minus malum illi fuisset, si non habuisset esse in hoc mundo, quàm habere esse cum peccato, aternâque Dei, & gloriæ ipsius amissione. Timeamus ergo tam malum effectum, tamque grauem pœnam, quàm est, propter vnum peccatum in alia peccata incidere. Ac ne peccatum hæc nos clade afficiat, neque Deus hac pœnâ id puniat, fugiamus peccata, quæ non commisimus, & de commissis statim pœnitentiam agamus. Non ijs immoremur, nec emendationem, ex cuius dilatione tantùm resultat damnum, procrastinemus. Obediamus Spiritui sancto, qui hoc nobis per Ecclesiasticum præcipit, dicens: *a Non tardes, per pœnitentiam de tuis peccatis conuertere ad Dominum, & ne differas tuam conuersionem de die in diem; quam primùm illam exequere: subito enim longeque citiùs opinione tuâ, ira, & iustitia Dei, quæ peccatori aternam pœnam*

a Eccli. 5. 8.

pœnam minatur, super te veniet, & in tempore pœnæ, ac vindictæ, hoc est, quando iudicium de te fiet, disperdet te, atque in æternum condemnabit.

Propter peccatum mortale Deum permittere, ut inordinata hominum desideria, qua in damnum, & perniciem animarum ipsorum redundatura sunt, impleantur.

CAP. XXXVI.

DESIDERANT homines in hac vitâ multa temporalia bona, vt sunt continua fanitas, longa vita, affluentia, dignitates, officia primaria, generis nobilitas, familiaritas, & fauor principum, aliaque id genus, quæ sunt secundum carnis inclinationem. Et scit Deus, si homo has res, quas desiderat, consequatur, ijs abusus, ipsique occasionem multorum peccatorum fore, per quæ peribit. Atque idcirco multis seruis suis, & quibusdam etiam peccatoribus, qui in suâ malitiâ non obduruerunt,